



1104

M. CCCC. LXXIIII  
M. CCCC. LXXIIII

M. CCCC. LXXIIII



INDEX DISPUTATIONUM

XII Dissput. vide p. 4  
sub Praesidio S. Frid. Bal  
duini.

- 13 De verbis testamenti Iesu  
Christi filii Dei, hoc est  
corpus meum, hoc est sanguis  
meus Pr. Balduini.
- 14 De Praedestinatione  
Pr. D. Jos. Gerhardi
- 15 Oratio De Friderico Myco-  
nio Theologo constantib. et  
primo Thuringorum Evangelista  
Abte D. Ant. Erbo
- 16 De Dei et Christi Oratoris  
vivi Mediatoris nostri, apud  
creaturas gubernandas  
universali et speciali pre-  
sencia. D. Bal. Mentzneri  
D. Iust. Feurbornii. etc.  
quomoda[m] quaestio[n]u[m]. etc.
- 17 Abstergio Calumniarum  
Jos. Coccii. Pr. Balb.  
Mentzneri.
- 18 De Baptismo conclusionibus  
comprehensus. Pr. D.  
Petri Biscafuris.
- 19 De persona Iesu Christi ser-  
vatoris nostri Pr. D. Ambro.  
Reudenio
- 20 De Baptismo initiationis  
sacramento Pr. D. Georgii  
Mylly.
- 21 De visitatione eccle-  
siastica Pr. D. Georgii  
Mylly.

22 Caroletadius redivivus  
contra Calvinianos Pr. G.  
Georgii Mylly.

23 De verbo Dei scripto,  
et traditionibus non  
scriptis. in Disputationes  
X distributa. sub Praes.  
D. Leonhardi Huteri.  
Indice decem Disputationum  
vide p. 2. in disp. 1.

34 Threnologia de obitu  
Principis Friderici Wilhelmi  
Hutere D. Georgio Mylly.

35 Panegyris Actus Doctorei  
iurisconsulti i. de Jos.  
Stigeli et iur. de inaugu-  
ratione Acad. Salanae.

36 Modus inveniendae Concordiae  
in contrav. De electione ad  
vitam a San. Hubero D.  
2 in Morte Principis Saxoniae

37 Ad Tragediam Virgilianam  
de Aeneas et Lavinia

38 166 Selectiones Epistolae D.  
Ph. Melancthonis ad D. Frid.  
Myconium conscriptae et

39 De viro sancto Martino  
Lutbero.

40 Votum nuptiale



DISPUTATIO THEOLOGICA III.

De

IVDICE CONTRO-  
versiarum,

QVAE CIRCA ARTICVLOS FIDEI  
VEL UNQVAM SVNT OBORTAE, VEL  
*oboriri possunt,*

Quam Spiritu Sancto favente  
SVB PRÆSIDIO

Reverendi, & clarissimi viri  
Dn. LEONHARTI HUTTERI,  
S. Theol. D. & Professoris in celebri Academiâ  
V Vitebergensi Publici discutiendam  
proponit

M. NICOLAUS HVNNIVS  
*Marpurgensis Hassus.*

Ad diem 8. Martij horâ 6. matutinâ.



VVITEBERGÆ

Typis Cratonianis per Iohann. Gorman.

Anno M. DC. VI.

DISPUTATIO THEOLOGICA DE

IVDICE CONTRA

VELUTAM

OMNE LIBERUM ARTHURUM FIDELI  
VELUTAM SUI GEORGEI VEL

Quam Spiritu Sancto favente

SUB PRÆSIDIO

Reverendi & clarissimi viri

DR. JOHANNIS HUTTNERI

S. Theol. D. & Professoris in celebri Academia

Wittenbergensi Publici discipulum

proponit

M. NICOLAUS HANNING

Marpurgensi Magistro

Adhuc S. Marij horis & ministris

WITTEBERGÆ

Typis Gersonii in vestibulo Germani

MDCCCLXXII



# Disputatio III.

## De IUDICE CONTRO- VERSIARVM RELIGIONIS.

I.



*Quantumvis questiones istae, in quibus omnis ferme dissensionis inter orthodoxos, & Pontificios cardo unice verti videtur, de Scriptura scilicet Sacra perfectione, norma religionis, & controversiarum Iudice tam cohaerant firmiter, ut vix, ac ne vix quidem separari ab invicem queant; nos tamen in presenti, quantum fieri poterit, questiones reliquas seponentes, inquiremus, quisnam controversiarum circa religionem exortarum & adhuc futurarum iudex credi, & statui possit, ac debeat?*

II.

*Ut autem questionis status recte formetur; Removebimus quae eundem non contingunt. 1. Ratione essentiae iudicis non quaerimus principaliter morum, sed cultus, & religionis iudicem; & huius quidem, non qui tantum ceremonialia, historica, & adia-phora: sed qui praecipue circa fidei Christianae articulos ortas dissensiones determinet. 2. Ratione temporis, cura nobis non est de Iudice controversiarum in extremo, & universali iudicio; nec in Ecclesia Iudaica ante Scripturam Mosaicam, nec ante canonis Novi testamenti plenariam constitutionem; verum in Ecclesia quidem veteris Testamenti exhibitis iam Moysi scriptis; in N. vero Testamenti canone librorum Apostolicorum pleno, ac perfecto.*

III.

*3. Ratione qualitatis minime indagamus iudicem, qualiscumque is sit, siue iustus, siue iniustus, qualem volunt Pontificij, sed qui iustus sit, & ita iustus, ut infallibilis; simul ordinarius, legitimus,*

A 2

univer

universalis; universalis tamen non absolutè, sed in suo genere, Ecclesia videlicet; quod volentes nolentes fatentur Adversarij. Ad-  
do huc etiam; non subdelegatus, sed summus, & absolutus, à quo  
appellare fas non est. 4. Ratione ipsius iudicij, quod 1. non exten-  
ditur ultra Ecclesie limites, fatentibus id Pontificijs. 2. Non est fi-  
naliter consummatum, (sic enim 1. Per alterius seculi iudicium  
consummari, ac perfici non posset. 2. Perfectè subijcerentur pijs hostes  
sui, quod tum experientia, tum quoq; scriptura Ioh. 16. v. 33.  
Matth. 10. v. 38. cap. 16. v. 24. & alibi refutat) sed inchoatum;  
pro perfectione nimirum, captu, intellectu, statu & conditione  
ipsius Ecclesie.

#### IV.

Ex quibus hac emergit questio: quisnam in his terris in ve-  
teri quidem Test. post scriptionem librorum Moysi, in Novo  
a. post canonis librorum Apostolicorum constitutionem sit  
absolutus & summus, universalis, legitimus, ordinarius, ju-  
stus, & infallibilis Iudex omnium controversiarum, quæ in  
Ecclesiâ circa cultum, ac religionem vel extiterunt unquam  
vel adhuc futurae sunt ad novissimum usq; diem? *Quæ que-  
stio aliquot continet indubia veri iudicis signa & κριτήρια. 1. Ex  
eo, quod dicitur absolutus, κριτήριον efficitur primum, non esse  
ad iudicem alium alligatum. 2. quod summus; ab eius iudicio ad  
superiorem provocari non posse. 3. quod legitimus, & ordinari-  
us; non debere alteram esse litigantium partem, nisi præclarissi-  
mum infallibilitatis testimonium habeat. 4. Quod iustus; non es-  
se προσωπελήπτην. 5. Quod infallibilis, ab omni errore immunem.*

#### V.

Addimus hisce 6. & illud, ut ad obedientiam cogere pos-  
sit partes, quò stent sententiæ, & iudicio. *Quæ conditio de summo  
Iudice intellecta bona est; si nimirum ille consideretur ratione iu-  
dicij tum inchoati, tum consummati; coactio ad obediendum iu-  
dicio itidem spectetur vel inchoata vel consummata. Sic spiritus  
sanctus controversas decidens, ac dijudicans iudicio inchoato,  
inchoatè*

inchoatè quoq; ad obediendum litigantes adigit; sin verò iudicio perfectò, ad plenariam quoq; obedientiam, & cognitionem iustitiæ iudicij adigit, & cogit.

VI.

Diversæ verò sunt tùm Papistarum, tùm orthodoxorum de questione proposita sententia. Illi enim in discrepantes abeuntes sententias modò, patrum orthodoxorum consensum, modò Ecclesiam, modò concilia à Pontificibus approbata, & confirmata, modò Christi vicarium, Petri successorem, Papam Romanum pro tali iudice venditant. Hi verò soli spiritui sancto hunc honorem & gloriam deferunt. Singulas videbimus seorsim.

VII.

De PATRVM SCRIPTIS quid sentiant, tùm ex Tridentino Concilio patet, sess. 4. can. 2. pronunciante. Decrevit sancta synodus, ut nemo contra unanimum consensum Patrum ipsam scripturam interpretari audeat: tùm ex Bellarmino, qui lib. 4. de verbo Dei c. 7. etsi (inquit) erraverint aliqui Patrum, in quibusdam dogmatibus; nunquam tamen omnes simul in eodem errore convenerunt. Et lib. 2. de Christo c. 2. Patres nunquam simul errant, etsi aliquis eorum interdum erret. In quem sensum Gretserus Resp. ad Thef. D. Hunn. de Colloq. pag. 147. unanimum (scribit) sanctorum Patrum consensum ad sacram scripturam examinare nihil opus est, cum à sacrâ scripturâ nec discrepet, nec discrepare possit, quippe infallibilis.

VIII.

Adversatur dogma hoc I. Veritati, quia 1. sancti Patres à nemine sunt ad munus iudicarium delecti, quis enim, quando, aut ubi delegit? 2. Non cognoscunt omnes controversias, id quod quàm plurimis hæresum recentiorum, imò ipsius papatus cum orthodoxis certaminum exemplis clarum est. 3. Sæpè partis litigantis vicem sustinent, ut in controversiis cum Ario, Nestorio, Eutychete, Macedonio, &c. agitatis. 4. Spiritum sanctum habent iudicem ipsis citra omne planè dubium superiorem. 5. Errare possunt.

sunt. 1. Quia nullum habent infallibilitatis testimonium. 2. Fuerunt homines, quorum proprium est, errare, & labi. Psal. 116. v. 11. 3. Lapsi sunt in haereses, quod Hieronymi, Augustini, Origenis, Tertulliani, & c. exemplis patet, quodq; fatentur tum sancti patres, tum Bellarm. lib. 4 de verbo Dei c. 7. lib. 3. de Laicis c. 22. aliq; Pontificij. Et quamvis, ubi consentiunt, non errent, infallibilitas tamen exinde non evincitur.

IX.

6. Non plus habent auctoritatis, quam hodierni Ecclesiae Doctores, quia nihil pra his ullibi à Deo tributum ipsis fuit. 7. Si non ex Scripturis petatur Patrum iudicium, est illud merè humanum, quocirca iudices esse nequeunt, quia sic fundamentum fidei non esset, nisi humanum, unde optimè consultum foret dubitationi Papistica, pessimè πλῆθος fidei, quae non amplius constabit firma, sed perpetuis agitabitur dubitationum fluctibus. 8. De doctrinâ Patrum non solum in novissimo die iudicabitur, sed etiam, sitne divina adeoq; sequenda, an secus, in hoc seculo est inquirendum: juxta illud Iohannis 1. Epist. c. 4. v. 1. probate Spiritus (non excipit S. Patres) an ex Deo sint. Et Pauli; omnia (Ergo & Patrum dogmata) probate, quod bonum est, tenete 1. Thess. 5. v. 21.

X.

9. Si sunt Scripturae inferiores, utiq; iudicantur ex, & ab ea; quomodo ergo absoluti ipsi sunt, & summi iudices? 10. Nullus unquam Pater hanc sibi arrogavit eminentiam; haecenus enim talis quispiam nominatus non fuit; & si maximè proferretur hanc sibi dignitatem arrogans, cum tamen vel ob hoc solum dogmâ damnabilem esse, vix, spero, quisquam inficiabit. 11. Eadem ratione universalis omnium temporum Ecclesiae praxis perspicuè docet, neminem ex Patribus iudiciariam sibi usurpasse potestatem, aut litem aliquam per 1600. annos in Ecclesiâ ortam diremissè; Neq; exemplum hic dabitur contrarium.

Doctri.



## XI.

II. Doctrinæ Pontificiæ. 1. *Emm Iudex non exami-  
natur, Patres ad traditiones examinantur, Bellar. lib. 4. de ver-  
bo Dei c. 7.* 2. *Labi possunt in errores, Idem lib. 3. de Laicis c.*  
22. *In hæreses, Gretserus lib. contra Thes. D. Hunn. p. 148. Iu-  
dex non item.* 3. *Corrigendi sunt si Ecclesia Romana consona-  
re debent, quod docent indices expurgatorij, Iudex non item.*  
4. *Non cognoscunt utriusq; argumenta.* 5. *Non cognoscunt vi-  
sibiliter.* 6. *Non audiunt, neq; audire possunt.* 7. *Non vi-  
vunt.* 8. *Non ferunt sententiam, ut altera pars evidenter sciat,  
se vicisse, altera se causam amisisse. Cum tamen iudex cogno-  
scat utriusq; partis argumenta, Coll. Rat. p. 273. Visibiliter, pag.*  
275. *Audiat, Ibid. § 300. Vivat, Tann. Relat. part. 2. c. 1. ferat  
sententiam, ut altera pars evidenter sciat se vicisse, altera, se vi-  
ctam esse, Colloq. p. 392.*

## XII.

9. *Iudex disertè dicit; Erras Calvine, Servete, Gret-  
sere, Tannere, Papa, Anabaptista, &c. Coll. p. 292. Patres non  
item.* 10. *Ille damnat hæreticos explicitè, Coll. pag. 427. hi im-  
plicitè.* 11. *Ad hunc non provocant hæretici, Coll. pag. 320. Ad  
hos provocant.* 12. *Ille dirimit omnes controversias, Coll. pag.*  
300. *hi non omnes.* 13. *Hi non compellunt transgressores ad  
ius, & fas, ut stent iuri, & decisioni; Ille compellit, Colloq. p. 273.*  
14. *Hi non possunt adiri ab omnibus, quia multi sunt in Ec-  
clesiâ, qui eos non habent, nec legere possunt; ille ab omnibus ad-  
itur, Colloq. p. 428.* 15. *Hi erroris arguuntur à Pontificijs,  
tùm in indicibus expurgatorijs fermè omnes, tum à Bellar. lib.*  
2. *de Monach. c. 9. Hieronymus lib. 1. de purgat. c. 5. Chryso-  
stomus, Theophylactus, Gregorius, Theodoretus, Oecumenius,  
Cyprianus; & alibi passim alij: Ille argui nullius erroris pot-  
est.*

Porro

## XIII.

Porro, ECCLESIAM Iudicem esse, uno animo sentiunt Pontificij. Permittimus verò & nos Christi Ecclesie iudiciariam potestatem, eam tamen non absolutam, sed Dei verbo limitatam; iuxta Esa. 8. v. 20. Deut. 17. v. 10. Si autem status supra thesi 4. positus respiciatur, Ecclesiam iudicem esse negamus, & pernegamus. 1. Quia in sese libera, & absoluta non est, sed ipsamet alij cuiuspiam fundamento superstructa. Eph. 2. v. 20. nec absolute vox illius est audienda, cum à voce alià (Christi) dependeat. Ioh. 10. v. 16. 2. Non ducit, sed ducitur Ioh. 10. v. 3. 4. 3. Ipsamet ex Dei verbo iudicatur, & probatur, sitne vera, vel non. I. Ioh. 4. v. 1. 4. Est pars litigans. 5. Errare potest, quippe cuius cognitio est ex parte. I. Cor. 13. v. 9. quæ excindi ex olea potest. Rom. 11. v. 21. 22. & erravit tum in veteri, tum in Novo testamento. Quod tamen non sibi, sed Christi Ecclesie concessum putet Synagoga Romana.

## XIV.

Similis quoq; est ratio CONCILIORVM, quæ similiter pro iudice venditant adversarij. Cui ipsorum thesi si subscriberemus maximè, nihil tamen magis, quàm Caiphae conventiculi Matth. 26. v. 57. Concilij Papisticis concessum foret. Tribuimus ergò Concilij legitimis iudicandi facultatem, in rebus ad cultum pertinentibus, verbo Dei alligatam (quemadmodum fecerunt Apostoli in Concilio Ierosolymitano Act. 15.) quæ verò per se cultum non concernunt magnam quidem, non tamen divinam auctoritatem concedendam arbitramur. Illegitimorum verò (qualia sunt, quæ à Papa Romano convocantur, congregantur, confirmantur) decreta non maioris estimanda sunt quàm Aesopi fabella.

## XV.

Quocirca, qualiter iudicat Ecclesia, taliter iudicent & Concilia, limitatè scilicet. Quòd enim eo modo, ac gradu, quo quæstio proposita flagitat, iudicare nequeant, probamus I. ex requisitis iudicis. Concilia enim I. Verbo Dei sunt alligata. Sic enim Dominus Ezech. 44. v. 24. cum fuerit (inquit) controversia, stabunt in iudiciis meis & iudicabunt: leges meas, & præcepta mea in omnibus so-

bus solennitatibus meis custodient, &c. Sic Petrus. 1. Epist. 4. v. 11. Si quis loquitur, loquatur ut eloquia Dei; Dei verò eloquia Scripturam esse, docemur Rom. 3. v. 2. Sic Paulus Rom. 12. v. 7. Prophetia fiat secundum analogiam fidei. An verò Conciliorum sanctiones fidei sint analogæ, cognosci non potest, nisi ad fidei fundamentum, quod sunt scripta Prophetarum & Apostolorum, Eph. 2. v. 20. exigantur. Sic Salvator ipse Matth. 15. v. 9. nisi ex Scriptura petantur decreta fidei, sequenda non esse, siquidem sint mandata hominum, quibus ipse non colitur.

XVI.

II. Concilia iudicem habent se superiorem, adeoq; provocare ab illis licet. Cur enim iudicem in his terris non agnoscerent eum, qui illos certò iudicabit in extremo iudicio? Si insuper ex Scripturis pronunciant, eo ipso fatentur, non se, sed Scripturam summum exercere iudicium. Sin autem à Scripturis dicant aliena, ea non ut divina sed merè humana acceptare didicimus, quid verò à præceptis humanis ad Spiritus S. tribunal appellare prohiberet?

XVII.

III. Concilia errare possunt; quia 1. Promissionem de infallibilitate non habent. 2. Homines sunt, quotquot Concilio intersunt, quorum est proprium errare. 3. Errarunt actu, quod testantur exempla in vet. Test. 1. Concilium 950. Baalitarum. 1. Reg. 18. v. 19. 2. 400. Prophetarum 1. Reg. 22. v. 6. 3. Concilium Iudeorum, cui præsedit Caiphas Ioh. 18. Sic post Apostolorum tempora Carthaginense anno 152. celebratum ab hæreticis baptizatos rebaptizandos decrevit. Hierosolymitanum, quatuor Antiochena, Sirmiense, Nicomediense, &c. Arii hæresin probarunt. Romanum 3. neminem ante 40. ætatis annum baptizandum statuit. Eliberinum quibusdam peccatoribus omnem spem veniæ præscidit. Ephesinum Eutychetis errorem ratum fecit.

XVIII.

Fortè Concilia hæc à Pontificibus non approbata obtendent; sola verò pro iudice agnoscenda, quæ Papa confirmat. Verùm, præter, quòd hoc ipso principium petunt, causam suam multò reddunt

B

dunt

D. Gesnerus  
lib. 2. de con-  
cilio

dunt deteriorem. Si enim Pontificis demum est, autoritatem Concilio addere, certè, in se eandem non habebunt, quo nomine pro iudice habenda non sunt. Docent insuper Concilia recentiora, Papæ canonisationem ab errore eadem non liberare. Constantiense namq; Laicis calicem in Eucharistiâ adimens, sciens, volensq; Christi Testamentum frangit. Similiter Tridentinum infinitis penè scatet erroribus, quos (ut & alia Concilia similiter à veritate recedentia) huc referre non est presentis instituti.

### XIX.

Deinde nec ex Papistarum sententia iudicare queunt. Quia 1. Ab alio (Papâ) iudicantur legitimane sint, an secus. 2. Non possunt ab omnibus nec omni tempore adiri. 3. Provocant ad illa heretici, quæ satis sunt manifesta. 4. Transgressores ad parendum latæ sententiæ compellere nequeunt; cum cor hereticorum flectere supra Concilij vires sit positum. 5. Errare possunt, neq; fides ipsis est habenda ante solennem Papæ approbationem.

### XX.

Quod si autem Concilia intelligantur, quæ olim fuerunt habita, & iam non nisi scripta extant, quale est, exempli gratia, Constantiense; non possunt de Religionis controversijs iudicare. Sic enim de controversiâ istâ, qua disceptatur, sit ne Laicis, S. Eucharistia sub utraq; specie administranda Constantiense iudicare nequit. Nam 1. Non est vivus iudex. 2. A pluribus adiri non potest. 3. Non pntis dicit; hic, vel ille, qui dogma hoc contra Papam defendit, est hereticus. 4. Non potest audire. 5. Nec valet ad obedientiam compellere transgressores.

### XXI.

Deniq; ROMANUM PONTIFICEM iudicem generalem, legitimum, ordinarium, omnium controversiarum, quæcunq; in Religionis negotio oriri possunt Colloq. Ratis. 6. pag. 35. Infallibilem quippe qui Ecclesiam docens nullo casu errare potest, Bellar. lib. 4. de Rom. Pont. cap. 3. Doctrinæ Apostolicæ magistrum,

strum, à quo fidei oracula semper sint petita, cuius iudicium in religionis controversijs expectent omnes catholici, cuius vim, & auctoritatem sacra omnia efflagitarint Concilia, &c. Canus lib. 6. c. 7. ac iudicem omninò talem, qualem indagat questio; publicè proclamare non erubescunt.

### XXII.

Nos, cur eidem auctoritatem istiusmodi planè ἀνορεῦθουον detrahamus, movent (omisso in presenti, quòd Antichristus est, & hereticus perniciosissimus) hæc fermè. Quia I. Absolutam pronunciandi facultatem non habet; quod probatur 1. hæc enim ipsi nuspiam à Deo concessa est. 2. Ad legem & testimonium est astrictus Esa. 8. v. 20. 3. Debet iudicare secundum legem. Deut. 17. v. 10. 4. Non licet ei quicquam præceptis Domini vel addere, vel detrudere. Deut. 4. v. 2. cap. 5. v. 32. c. 12. v. 32. Prov. 30. v. 6. Ezech. 20. v. 18. 5. Auctoritatem par. m cum Deo non habet, quam haberet, si esset iudex absolutus.

### XXIII.

II. Nec summam. Nam 1. Iudicem habet se superiorem Spiritum sanctum. 2. Non minus de Papa dictum; probate Spiritus an ex Deo sint. 1. Ioh. 4. v. 1. quàm de quovis alio. Si itaq; ex Scriptura de ipso iudicatur, utiq; Scriptura est iudex illo superior. 3. Dijudicanda est, & examinanda Papæ sententia à Concilio, quòd tum fatetur ius Pontificium, Papam (inquiens) si reperitur à fide devius, iudicari, & deponi ab Ecclesia posse. cap. Si Papa. dist. 40. citante & astipulante Melch. Cano lib. 6. Loc. cap. 8. & Bellarm. lib. 2. de Rom. Pont. c. 27. 30. tum ostendit Ecclesiæ praxis, qua in synodo Seseuanà Marcellinus humi prostratus damnatus; & Constantiensi, Iohannes XXIII. ab officio remotus; ac condemnatus fuit.

### XXIV.

III. Non est legitimus, & ordinarius. 1. Quia à nemine ad hoc officium est destinatus; ubi enim à quo, & quando? In Scripturis certè de talis alicuius summi iudicis ordinatione silentium est lon-

gè profundissimum. Nec ibidem de indubitato Papa iudicio citra  
ullam tergiversationem suscipiendo, & sequendo ullus extat vel  
apex, ullum iota, ulla litera. Christi enim verba Matth 16. &  
18. Ioh. 21. Luc. 10. & c. dignitatem hanc non extruunt, sed de-  
struunt. Et qui legitimus esset, cum sit pars litigans?

X XV.

IV. Non iustus. 1. namq̄ iustus iudex is est, qui querit vo-  
luntatem, non suam, sed eius, qui misit eum. Ioh. 5. v. 30. At qui  
Papa præterquam, quod ipse currit, nemine mittente, non Dei,  
à quo se missum, cuiusq̄ se gloriatur vicarium, sed suam querit  
voluntatem. Sic namq̄ cum Christi voluntas esset, ut etiam vi-  
num non minus, quam panis in S. Eucharistiâ totius Ecclesiæ ef-  
set bonum; Ecce Papa contra eiusdem heri sui Testamentum ca-  
licem Laicis nefando sacrilegio subtrahit. 2. Suum cui non tribu-  
it. Etenim supra Christum, & Deum se efferens, gloriam eidem  
divinam adimit, eo ipso non dans Deo, quod Dei est. Similiter  
Cæsari non dat, quod Cæsaris est, spolians eundem & maiestate,  
& regionibus, & subditis. Clericis, monachis, ac monialibus non  
dat, quod divino iure ipsis competebat (libertas scilicet nubendi.)  
Laicis non dat, quod Laicorum est; (calicem enim furatur in  
Eucharistiâ, ac libertatem quo vis ciborum genere fruendi.) Plu-  
ribus in Christi nomen baptizatis hereditatem cœlestem illis debi-  
tam aufert. 3. Est προσωπολήπτης. 4. Iniquè iudicat, hæreticum  
pronunciando Vigilium quendam Germaniæ Episcopum, Anti-  
podes esse, docentem, quod testatur Aventinus, citante Sutlivio  
lib. 4. de Rom. Pont. c. 1.

XXVI.

V. Non de Omnibus controversijs iudicat. Quod plus satis  
nos docent Pontificij ipsi, qui in casu hæresis (quæ immediatè  
controversiam secum trahit) Papam illo ipso Papam esse desinere,  
adeoq̄ nec iudicare posse, fatentur. Bellar. lib. 2. de Rom. Pont.  
c. 30. Unde colligimus: Cum, exempli gratia, controvertitur, pos-  
sitne Papa ex cathedrâ decidens errare, aut fallere? Papistæ ne-  
gent, affirmat Ecclesiâ Christi. Sin iam Papa ex cathedrâ pronun-  
ciet, se

ciet, se ut Pontificem decidentem simpliciter esse infallibilem; (se-  
pono quod est pars litigans) equidem latam sententiam latam,  
audio, sed unde Papam adhuc Papam esse, cognosco? Dubium e-  
nim est, desieritne ea ipsa decisione esse Papa, cum mihi sit ad mi-  
nimum de heresi suspectus. Quis verò huius questionis erit iu-  
dex? Papane? minimè; quicquid namq; ille decimat, eadem in  
infinitum usq; redibit controversia; in infinitum ergò de eadem  
litigabitur, in infinitum de eadem iudicijs aequè dubijs pronun-  
ciabitur. En egregium iudicem.

### XXVII.

VI. Non infallibilis. 1. Nullum habet de non errando te-  
stimonium, nullam promissionem. 2. Non minus erroribus, quàm  
quivis homo alius est subiectus; vel ubi & qua privilegia, qua si-  
gilla; qua testimonia, ex ceterorum hominum censu cum eximen-  
tia? Ostendat divinitus concessa, non à se conficta. 3. Facilius in  
definiendo falli potest, ac Pontifices veteris testam. hi namq; di-  
vinitus iudicandis controversiis præficiantur; ille minimè. Ve-  
rùm & illi errarunt, Aaron erigendo vitulum aureum Exod. 32.  
Urias; extruendo altare idololatricum 4. Reg. 16. Sacerdotes tem-  
pore Ieremiae. Ier. 18. v. 18. Passur Ier. 20. v. 2. 5. Iason, prava  
sanciens instituta. 2. Maccab. 4. Caiphaz cum universo synedrio suo  
Matth. 26. Qui ergò non similiter erret & Papa Romanus?

### XXVIII.

4. Omnis Pontifex ex hominibus assumptus est infirmitati  
subiectus. Heb. 5. v. 2. 5. Quis mortalium hominem rudem, asi-  
num indoctum, stolidum, & stupidum, nullum in pensitatione con-  
troversie studium adhibentem (qualem iudicem suum esse posse  
concedunt collocut. Ratisbon. pag. 61.) & ita incogitantem ac ob-  
liviosum, qui etiam sui ipsius sit immemor, ab omni simpliciter er-  
rore pronunciaret liberum?

### XXIX.

Atq; hanc infirmitatē suam sufficienter produnt I. verbis, dum  
fatentur Adversarij, posse errare Pontificem. 1. actu externo. Bel-  
lar. lib. 4. de Rom. Pont. c. 8. 2. In confessione fidei. 3. Occultè. 4.

B 3

Facto

Facto, Ibid. c. 10. 5. Per ignorantiam in declaratione opinionis  
proprie. 6. Obiter dicendo. 7. Ex odio, Ibid. cap. 12. 8. In re  
qua non sit fidei. 9. In sententiâ ab Ecclesia nondum definita,  
Ibid. c. 14. II. Factis. 1. Definiendo non ut certum, sed ut pro-  
babile (quod incertitudinis certum est signum, & factum est in  
Concilio Viennensi, teste Bellarm. lib. 2. de Concil. c. 12.) 2. Sibi  
invicem contradicendo; quomodo Stephanus VI. Formosum;  
Stephanum Iohannes IX. Romanus I. Theodoretus II. Hos Ser-  
gius III. &c. damnarunt. Sic Leonem X. Erasmi versionem N.  
T. canonisantem damnat Paulus IV. in Concil. Trid. Leo II.  
Sergium & Honorium; Nicolaum IV. Iohannes XXII. damna-  
runt.

XXX.

Luculentius id probarunt exemplis suis, dum sæpè gravissimè  
errarunt. Marcellinus sacrificavit idolis, Liberius, Felix II. Leo,  
fuerunt Ariani. Anastasius II. Photinianus. Vigilius, Eutychianus,  
Honorius I. Monothelita, Zepherinus, Montanista, Gregorius  
VII. ut hereticum damnavit Concilium Brixinense. Iohannes  
XXII. Animas sine corpore in gaudium cœleste non intrare docuit.  
Iohannes XXIII. Animæ immortalitatem, carnis resurrectionem,  
& vitam æternam negavit. Innocentius VIII. Norvegis permi-  
sit, ut sine vino Eucharistiam administrarent contra Testamen-  
tum Christi.

XXXI.

VII. Adhæc à vitâ Paparum impurâ, omnisq; generis fla-  
gitijs refertissimâ probatio ducitur contra iudiciariam eorun-  
dem potestatem, talis. Lupus in Ecclesia grassans, non potest es-  
se iudex universalis Ecclesiæ. Propositio hæc Bellarmini est lib. 2.  
de Pont. Rom. c. 30. quam approbat ipsa veritas. Nam in animam  
malignam non intrat Spiritus sapientiæ, nec habitat in corpore  
peccatis subdito. Sap. 1. v. 4. Qui dicit, se nosse Deum, & manda-  
ta eius non custodit, mendax est. 1. Ioh. 2. v. 4. Animalis homo non  
percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei. 1. Cor. 2. v. 4.

Atqui,



## XXXII.

Atqui, Pontifices Romani lupi sunt ferissimi, imò monstra, & portenta. Nonne enim quovis lupo deterior est, qui 1. S. Cesare & Maiestati sese opponit, bella, & seditiones adversus eam concitat. 2. Superbiâ sese supra Deum effert. 3. Multum effundit Christiani sanguinis: quæ tria omnibus ferè Papis vix ullo excepto sunt communia. 4. Pacta, ac iuramenta temerè violat; cuius sceleris iidem plurimi ipsorum sunt rei; hinc namq; orta regula sedi Papali propria: hæreticis (scil. quos ipse hæreticus tales putat) non esse servandam fidem. 5. Qui insatiabilis est; cui corradendi auri & argenti gratiâ venalia sunt sacerdotis, altaria sacra, coronæ; ignis, thura, preces, cælum est venale, Deusq;.

## XXXIII.

6. Cædibus, ac seditiõibus fuerunt dediti. 7. Sunt necromantici & Diaboli mancipia; cuiusmodi fuere Alexander V. Gregorius VII. Benedictus IX. Paulus III. Sylvester VI. qui ut Papa fieret Diabolo se dedit, eiq; homagium præstitit. Iohannes XII. ad aleæ ludum invocavit Satanam. Et quis omnia nefanda Pontificum scelera vel enumeraret saltem? Quemadmodum verò illimet Alexandri VI. scelera hoc expresserunt epitaphio; Hospes abi, iacet hic & scelus, & vitium; & Sixti IV. hoc: hic scelus omne clauditur, & vitium; sic nos breviter; in cathedra papali sedet & regnat scelus, & vitium: curiâ Romanâ scelus omne clauditur, & vitium.

## XXXIV.

Quibus accedit & illud, quòd 1. Non semper, & ab omnibus ob locorum distantiam, aliâq; incommoda adiri potest. 2. Non est semper notus. Cum enim vel regnat nullus, vel simul plures, de quibus non liquet, quisnam pro legitimo, ac vero agnosci debeat, minimè liquet de vero iudice. 3. Nequit decretorum suorum contemptores ad obedientiâ cogere, quod, cum & apertû sit, & fateatur ipsi Papistæ, probatiõne nulla est opus. 4. A iudicio ipsius haud rarò ab Imperatoribus fuit provocatum: similiter & Academia Parisi-

Parisiensis à Leonis X. decreto appellavit. 5. Iudicia Paparum resciderunt tum ipsi Papa, tum Romani Imperatores. 6. In Ecclesiâ primitivâ pro tali iudice agnitus nunquam fuit; quia & Paulus Act. 25. v. 9. non ad Papam, sed Casarem appellat; hocq; abundè testantur exempla, quibus hæretici non ab Antistite Romano, sed Conciliis ex scripturâ iudicati fuerunt.

XXXV.

Hiscè ita remotis asserimus 1. Solum DEUM iudicem talem esse qualem quærimus: quod docet Scriptura; Deum iudicem Heb. 12. v. 23. Iudicem & legislatorem Esa. 33. v. 22. Iac. 4. v. 12. autorem & consummatorem fidei nostræ Heb. 12. v. 2. Doctorem universalem totius Ecclesiæ Ier. 31. v. 33. Heb. 8. v. 10. qui Ecclesiam ducit in omnem veritatem Ioh. 16. v. 13. Qui mundum arguit de peccato, iustitiâ, & iudicio ib. v. 8. corda hominum ad sinceram fidem amplectendam aperit. Act. 16. v. 14. Cùm item Ecclesiam Dei domum Ioh. 2. v. 16. regnum cælorum Matth. 13. v. 24. c. 18. v. 23. Deum eiusdem supremum gubernatorem, adeoq; & iudicem constituit, cùm Domum Dei, regnumq; cælorum administrare soli omnipotenti, ac sapienti competat. Quid? quòd cùm solus Deus Ecclesiam constituerit, solus quoq; ipse sit iudex; eius enim est Remp. regere, cuius constituere, eius verò iudicare, cuius regere.

XXXVI.

Competunt insuper soli Deo attributa iudicis. 1. Namq; cognoscit omnes causas, utpote καρδιογνώστης. Ier. 17. v. 10. Deut. 29. v. 4. Ier. 31. v. 33. Act. 16. v. 14. 2. Est simpliciter absolutus. 3. Summus à quo provocare non modò est plus quàm impium, sed & simpliciter ἀδύατον. 4. Non est pars litigantium; quia cum nemine disceptat, nisi ut Iudex. 5. Non προσωπολήπτης. Deut. 10. v. 17. Iob. 34. v. 19. Esa. 11. v. 3. Matth. 22. v. 16. Mar. 12. v. 14. Luc. 20. v. 21. 6. Infallibilis. 1. Sam. 15. v. 29. Rom. 3. v. 3. 4. 7. Solus ad obediendum iudicio cogit partes, in hoc quidem seculo inchoativè, dùm reddit illos αυτοαναγκίτες. Tit. 3. v. 11. κενωτηριασμένους τὴν ἰδίαν σκεΐδην. 1. Tim. 4. v. 2. in futuro verò consummatè. Matth. 25.

II. Spiri-

XXXVII.

II. Spiritum Sanctum esse istum iudicem. Qua assertione personæ divinitatis cœtera nequaquam excluduntur; verum discrimen personarum respectu patefactionis & ordinis, quo eadem agunt, exprimitur. Iudicant enim & cœtera mittendo ad iudicium Spiritum Sanctum. Ioh. 16. v. 8. Hinc Spiritum S. iudicem faciunt Apostoli Act. 15. v. 28. Quemadmodum enim rectè de omnibus tribus divinitatis personis asseritur, quòd sint autor S. literarum; cum illud sit opus ad extra, adeoq; indivisum; sicuti etiã Deus per Prophetas loqui dicitur. Act. 3. v. 21. nihilominus scriptura ad actionis ordinem significandum Spiritui s. S. id ascribit: Heb. 10. v. 15. 1. Pet. 1. v. 11. 1. Pet. 2. v. 21. Sic quoque Spiritus Sanctus Pastores Ecclesiæ constituit Act. 20. v. 28. eosq; donis necessarijs instruit. 1. Cor. 12. v. 8. 9. 11. A quo tamen opere Patrem & filium excludere salva religione Christianã haud licet.

XXXVIII.

Pari modo vel invitis Pontificijs iudex est Spiritus Sanctus; si requisita, quæ à vero iudice flagitant, respiciantur. Nam 1. utriusq; partis argumenta inspicit. 2. Est vivus. 3. Audit, & audire potest. 4. Sensum legis clarè explicat. 5. Ita fert sententiam, ut pars altera evidenter scire possit, se vicisse, altera, se causã cecidisse. 6. Hæreses damnat explicitè. 7. Ab omnibus potest adiri. Reliqua duo, quæ fingunt iudicis requisita, quorum unum, ut iudex quemvis hæreticum suo appellet nomine; alterum; ut nullus ad eum provocet hæreticus; ut ab omni ratione absona, & absurda eodem iure rejicimus, quo fuerunt extructa.

XXXIX.

Cœterum, hæc Papistarum nonnulli largè concedere videntur, in hoc autem unicè harere controversiam dicentes, quisnam immediatus, summus tamen sit, & visibilis controversiarum iudex? Ad quod initio respondemus, non opus esse iudice visibili, eoq; summo. Deinde III. asserimus, Spiritum sanctum per verbum

C

bum

bum suum (non per Pontificem) scriptis Prophetis, & Apostolicis comprehensum universalem esse omnium controversiarum iudicem; idq; probamus:

*XL.*

*Quia I. Ad id data est Scriptura, ut homines erudiat ad vitam eternam Luc. 16. v. 30. 31. Ioh. 5. v. 39. cap. 20. v. 31. 1. Ioh. 5. v. 13. ut sit vita hominum, Deut. 32. v. 46. ut sit regula fidei, 2. Paral. 17. v. 9. cap. 31. v. 21. cap. 34. v. 32. Psal. 19. v. 5. Rom. 10. v. 18. Gal. 6. v. 15. Phil. 3. v. 16. Ut secundum illam in Ecclesia iudicetur, Esa. 8. v. 20. Ezech. 44. v. 24. Matth. 19. v. 29. 31. Ut iudicet de miraculis, Matth. 24. v. 24. De doctrinâ Angelorum, Gal. 1. v. 8. ut iudicet, quis sanctus sit, & quis prophanus, Lev. 10. v. 11. ut iudices informet, Deut. 17. v. 19. 2. Paral. 12. v. 11. Custodiat à peccato iudicio suo obtemperantes, 1. Ioh. 2. v. 1. Est radix & semen fidei, Luc. 8. v. 11. Rom. 10. v. 17. 7. & est conclusionum Theologicarum principium perfectum, 2. Tim. 3. v. 16. 1. Pet. 4. v. 11.*

*XLI.*

*II. Docet hoc ipsum etiam Ecclesie praxi, qua questio de loco Nativitatis Messie Matth. 2. v. 7. decidebatur ex Mich. 5. v. 2. Controversia inter Christum, & Phariseos Ioh. 5. v. 46. ex Moyse Gen. 1. v. 15. c. 22. v. 18. c. 49. v. 10. Controversia Christi cum Sadduceis de mortuorum resurrectione Matth. 22. v. 23. ex Exod. 3. v. 6. Controversia Christi cum Satana Matth. 4. ex Deut. 6. v. 16. c. 8. v. 3. c. 10. v. 10. Controversia de observatione Sabbathi Matth. 12. v. 3. ex Lev. 24. v. 9. Num. 28. v. 9. Questio de divortio Matth. 19. v. 3. ex Gen. 1. v. 27. c. 2. v. 24. Dubium circa Messie passionem & resurrectionem in Ecclesia ortum Luc. 24. v. 45. 46. ex Psal. 16. v. 10. & Psal. 22. Imò totâ Scripturâ. Controversia de vocatione gentium ad regnum Messie Act. 15. ex Amos 9. v. 12. Controversia de Messie à mortuis resurrectione & sessione ad dextram Dei Act. 2. ex Psal. 16. v. 8. 10. Psal. 110. v. 1. Controversia de Christo, sit ne Messias, ex Scripturis dijudicabatur Act. 18. v. 28.*

*Hinc*

XLI.


III. Hinc Sacra litera passim iudicia Dei nuncupantur Deut. 30. v. 10. Psal. 119. IV. Hinc quoq; factum, ut tam graviter irasceretur Deus omnibus, qui hunc iudicem non unice sequebantur. Exemplo sunt, Gedcon Iud. 8. v. 27. Mater Micha. Iud. 17. v. 3. Nadab, & Abihu. Lev. 10. v. 1. 2. Salomon 3. Reg. II. v. 33. Israelita 4. Reg. 17. Ieroboam 1. Reg. 12. v. 28. Iudæorum 2. Paral. 23. v. 17. V. Et quid deniq; obstet, quominus nobis in hac vita versantibus sit Iudex illa Scriptura, que in extremo iudicio iudex erit totius orbis terrarum, omnium vitiorum, omniumq; falsarum opinionum tum intra tum extra Ecclesiam? Dan. 7. v. 10. Iob. 12. v. 48. Rom. 2. v. 16. Apocal. 20. v. 12.

XLI.

Hæc de supremo, & absoluto iudicio. Huic subordinatos damus ali. s. l. Ecclesiam, inq; ea ministerium Ecclesiasticum: iuxta Deut. 17. v. 8. 9. Matth. 18. v. 18. propter interpretationis donum eidem concessum. 1. Cor. 12. v. 28. Ephes. 4. v. 11. II. Quosvis fideles. Hi enim, ut de fide sua solliciti de voce Ecclesie & ministrorum iudicent, & concessum, ac mandatum est. 1. Cor. 10. v. 15. cap. 11. v. 13. cap. 14. v. 29. & Berræenses eo nomine à Spiritu Sancto laudantur, quòd de ijs, quæ Paulus prædicabat, iudicabant ex Scripturis. Iudicium hisce omnibus concedimus, sed ad Dei verbum exactum, limitatum, determinatum, astrictum.

F I N I S.





94 A 7359

ULB Halle 3  
002 625 679



Sb.

Retro

W 17









27

DISPUTATIO THEOLOGICA III.  
De  
INDICE CONTRO-  
versiarum,  
QUAE CIRCA ARTICULOS FIDEI  
VEL UNOAM SVNT OBORTAE, VEL  
*oboriri possunt,*

Quam Spiritu Sancto favente  
SVB PRÆSIDIO  
Reverendi, & clarissimi viri  
Dn. LEONHARTI HUTTERI,  
S. Theol. D. & Professoris in celebri Academia  
V Vitebergensi Publici discutiendam  
proponit  
M. NICOLAUS HVNNIVS  
*Marpurgensis Hassus.*  
Addiem 8. Martij horâ 6. matutinâ.

---

VVITEBERGÆ  
Typis Cratonianis per Iohann. Gorman.

---

*Anno M. DC. VI.*